

Kammelband OZ

In die locorum in hoc volumine
explicatorum

- nr. 29 Pst. LXXXIV.
4. Matth. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
40 Eph. V. 27.
18 Col. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Eph. X. III. 2.
26 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 9.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

- 1 Similes de naturalismo rom: eccl:
 2 Historia questionis quod est maximus in regno celorum
 3 Schubel de resurrectione Iesu Christi et eius resurrectionis spiritus
 4 Historia & doctrina de factu Resurrectionis ad Matth. II. 11. 18
 5 De natali die Christi Peratoris
 6 De captivitate Iesu Christi archangelum et diabolum de approbatione Iesu. ad Iud. 9
 7 Baptis: N. oratio de humana Christi generatione
 8 De agno Iesu, qui tollit peccata mundi
 9 vid: II. 5
 10 De resurrectione Iesu Christi demonstata ex generatione filii Act. XIII. 22 - 23.
 11 De Iesu Christo spiritu infirmorum triumphante ad Col. II. 14. 15 ~~Catech.~~
 12 De pace in terra ex aduentu Christi
 13 De hominibus Gappendorf. Dommerich
 14 De operationibus spiritus
 15 Kippeling animadversiones in Litterariorum causis gallicis
 16 De vestigiis prophetie locutionis de locum suum mediatoris, apud vetere plenum philosophorum
 17 De Thumba Carta operaria
 18 De religiosis affectionibus Christi ad Col. 1. 34
 19 De gallicis encyclica philosophicis numeris et Theologorum numero
 20 De differentia Iesu Christi postea ex nobis ab ascensione, corrupti:
 + 21 Habitation de Michaelis archangelo, cuius apparitionibus, festis et cultu in monte Gargano
 22 Nullus dicitur propositus.
 23 De divinis curis suorum hospitibus. Wernsdorf ad Ebor. XIII. 2.
 24 De visione Dei ante resurrectionem crucis
 25 Christus pacifer. Wernsdorf:
 26 De Mayo plumbone philosophice ante - Rappo. Dommerich.
 27 De Dio imperatore. Wernsdorf
 28 Schubel de Historia Iesu Christi quinque episodiis
 29 Observationes philosophicae in Iesu Christi - Catech.
 30 Cidel de veritate resurrectionis Iesu Christi.
 31 De Spir. S. non concurrente ad opes sed embonis
 32 Disputatione contra orationem dominicanam.
 33 De confirmatione Christi regis spirituum
 34 De momentis Iesu Christi ad determinandum natum Christi diem.
 35 De nos ex trinitate rescriptu. Schubel
 36 De spiritibus in operibus. ad I Petri. III. 18.
 37 De prophecias Apo.
 38 Wernsdorf de Iesu philosophico usq; ad Luc. 10. 7ff. 2 Petr. 1. 19 Apost. XXII. 16.
 39 Catech. de obsequiis diabolici corporibus pionum denegatis
 40 De Spir. S. De legato.
- + 40.20 agitur Catech. propositio de Christo sui corporis Salvatore. (Cor. 1. 21)

3


R E S V R R E C T I O
C A R N I S C H R I S T I

A D V E R S V S
R E S V R R E C T I O N E M S P I R I T V S

A N V P E R O S C R I P T O R E
F I C T A M V I N D I C A T V R

P R O G R A M M A T E
F E S T O P A S C H A T O S

. A N N I C I X I O C C L .
I N A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A
P . P .



H E L M S T A D I I
E X O F F I C I N A S C H N O R R I A N A .

PRORECTOR
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
IOANNES ERNESTVS SCHVBERT
VNA CVM SENATV
S. P. D.
CIVIBVS ACADEMICIS.



nigenitum DEi filium, postquam dolorosa & cruenta morte humani generis redemtionem obsignauerat, resuscitatum esse post triduum a mortuis, veritas est tot testimoniorum, tot argumentis, totque plausibus populorum firmata, vt longe infra hominis christiani dignitatem sit, nouas demonstrationes maioremque huius rei certitudinem desiderare. Ast quo magis gloriose illius resurrectionis pia & salutaris recordatio fidem nostram alit, & quo euidentius ea religionis, quam ipse Sapientissimus Iesus nobis tradidit, sanctitatem, praestantiam, & veritatem testatur, eo virulentius eam Satanus aggressus est, multosque empaectas omni tempore excitauit, vt veritatem hanc labefactarent, dubiam redderent, &, si possent, penitus ex animis hominum tollerent. Inter tot agmina profanorum hominum, qui infelix ingenium hac impietate exercuerunt, caput suum in primis hisce diebus extulit IOANNES CHRISTIANVS EDELMAN, homo, quo audaciorem & impudentiorem nulla vidit aetas, & quem omnis secutura posteritas iusto horrore detestabitur. Is ne quid intactum relinqueret, quod nos religiose veneramus, suis quoque commentis fidem resurrectionis Christi impugnauit. Quorum etsi pleraque iam multoties dicta & refutata sunt ab

aliis, non parum tamen vtilitatis nos rei christianaec praestituros esse confidimus, si sententias auctoris huius de resurrectione Christi, earumque argumenta, aut breuiter perstringerimus, aut, vbi opus fuerit, illorum vanitatem demonstrauerimus.

Vt itaque hoc munere rite perfungamur, praemittenda sunt ea, quae ab auctore nostro neutriquam negantur, scilicet 1. Christum, antequam morti tradebatur, resurrectionem suam praedixisse; 2. eum in cruce vere interfectum, & 3. postea sepultum, imo & in sepulchro publica auctoritate obfignato custoditum esse a milite praefidario; 4. nihilo tamen minus terra post die fores sepulchri fractas, milites in fugam conuersos, & corpus Christi in ipso sepulchro non amplius visum aut repertum esse; atque 5. hunc euentum, vna cum praedictione Christi, effecisse, vt multi resurrectionem corporis occisi credere inciperent, eamque persuasionem vterius multorum animos occupasse. Tantum vero, his licet presuppositis, abesse putat aduersarius, vt resurrectio, qualis in orbe christiano creditur, hinc confici posset, vt potius haec omnia aequis rerum arbitris longe aliud quid persuadeant. *Christus nimirum, inquit, resurrexit a mortuis, non resurrectione carnis, sed spiritus.* Spiritus vero resurrectionem putat ipsam corporis mortem esse. Quemadmodum enim anima a corpore morte naturali separatur, ita hac separatione Spiritum a morte, h. e. a corpore liberatum esse docet, & hanc liberationem Christi resurrectionem fuisse arbitratur. (a) Itaque haec eius est opinio: *Christum vere mortuum esse; hac morte separatam esse animam a corpore; & hanc separationem in scriptura dici resurrectionem eius ex morte vel a mortuis, corpus vero in terra reconditum ibidemque corruptum nunquam resuscitatum, & animae redditum esse; hinc & Christum post mortem suam discipulis haud quaquam apparuisse.*

Verum

(a) Vid. EDELMANNI Glaubensbekentnis art. 9. p. 190. & p. 201.

Verum hic multa se statim offerunt, quae notiae huius sententiae falsitatem & inconuenientiam euidentissime demonstrant. Namque scriptura & resurrectionem Christi ab eius morte semper distinguit, & illam tertia post mortem die sequutam esse testatur, & resuscitationem hanc tanquam singulare opus diuinae omnipotentiae, & veritatis doctrinae Christi documentum praedicat: quae vero omnia auctor hypothesi sua temerario ausu tollit. Praeter haec multa alia contra opinionem hanc vrgeri possent. Sed quid opus est longa disputatione, cum nemo facile in eam ingressurus sit, nisi argumentis trahatur, aut in se validis, aut certe ad speciem compositis. His equidem auctor se satis instructum esse putat. At vero iam videbimus, vanam hanc eius esse persuasionem. Id enim nobis praeципue datum esse arbitramur, vt argumenta, quibus ille hypothesis suam communire tentauit, nunc defruamus.

Si ea, quae auctor prolix & pro more suo confuse disputauit, in ordinem redigere velimus, ad duas classes ea reuocari oportet. Primum enim argumenta exhibet, quibus opinio ipsa, carnem Christi resuscitata non esse, directe firmari debuit. Tunc vero & multa differit, quae eo tendunt, vt haec hypothesis concilietur cum circumstantiis, ab ipso auctore concessis, quae resurrectionem carnis Christi testari videntur. Ad prius argumentorum genus primum refero falsam interpretationem oraculi petrini 1. Ep. III. 28. quo resurrectionem carnis haud obscure negari putat. Hic enim Apostolus inquit: *Christus mortificatus est carne, & vivificatus spiritu;* quae verba sic accipienda esse censet: *Caro Christi mortificata est in cruce, spiritus vero seu anima illius, egressa e corpore, hoc ipso resurrexit a mortuis.* Maius huic argumento robur addere putat dignitatem personae, cuius haec sunt verba, & defectum testimonii, quo hic princeps Apostolorum carnis resurrectionem vnuquam asseruisset. His armis instructus longa oratione contra resurrectionem Christi

disputat. Petrus, inquit, magnus ille Apostolorum princeps, qui perpetuus erat Christi comes, nunquam testatus est, carnem eius mortificatam & in sepulchro reconditam resurrexisse; sed potius, oblata de resurrectione Christi differendi occasione, hanc Spiritus resurrectionem fuisse, disertis verbis docet; Quis ergo sibi persuadeat, corpus Christi occisum & crucifixum postea resuscitatum esse a mortuis?

Ad haec vero omnia nos respondemus, 1. Petrum quidem resurrectionis Christi testem fide dignissimum & nemine inferiorem esse, sed 2. auctorem nostrum vehementer falli, quando negat, hunc Apostolum resurrectionem Christi corporalem nunquam docuisse. Nam si acta apostolorum unquam euoluisset, multis locis e. g. cap. II. 32. III. 15. IV. 10. 33. X. 41. & alibi haud dubio obleruasset, neminem eo saepius, solemnius, & confidentius resurrectionem carnis Christi praedicasse. Quanta igitur est impudenteria, his locis insuper habitis, quasi non extarent in scriptura, ad unicum locum in Epistola Petri prouocare, & tam praefracte contra omnem experientiam negare, Apostolum hunc de resurrectione carnis unquam loquutum esse! 3. Nouum est auctoris commentum, verba Petri, *viuiscatus est Spiritu*, significare separationem animae a corpore. Nam si i. πνεῦμα h. l. eam partem Christi denotaret, quam Petrus viuiscatam esse inquit, & si per hunc spiritum anima Christi intelligi deberet, ea procul dubio mortua fuit, antequam Christus crucifigeretur, & per corporis mortem in vitam revocata est. Haec autem animae mors, & haec eius resuscitatio ex morte ne fingi quidem potest. Nam sanctissima Christi anima nec physice nec moraliter nec vilo alio respectu mortem unquam passa fuit. Taceo, eam Christi partem tantum viuiscari potuisse, quae mortificata erat, & quam corpus Christi fuisse, certo scimus. Sique obiiceret, separationem animae a corpore recte dici resurrectionem ex morte, quia corpus, ex quo anima tunc egreditur, vere est res mortua, quam tropice & ipsam

ipsam mortem appellare licet; equidem haud improbarem tropum, quo mors naturalis ex causa modo memorata dice-
retur *egressus animae ex morte*, sed eadem haec mors minime
dici posset *χωρόντος πνεύματος*, qua tamen voce Petrus citato
loco vtitur. Sunt enim diuersissima, egredi e re mortua, &
viuiscari. Quae cum ita se habeant, 2. manifestum est, Spi-
ritum, quo Christus viuiscatus esse dicitur, non denotare *Sub-
iectum*, sed *Causam efficientem resurrectionis*; & hinc verba
Apostoli sic intelligi oportere: *Mortificatus est secundum car-
nem, & iterum viuiscatus per Spiritum.* Ex quo vleterius se-
quitur, 3. Spiritum hunc, cuius efficacia Christus in cruce
mortuus vitam recuperavit, esse *aeternam eius diuinitatem*,
ideoque hanc esse mentem diuini Scriptoris: *Christus quidem
mortuus est, sed tantum quoad humanam naturam; diuina enim
morti succumbere haud potuit; imo potius & ipsam corporis
mortem sustulit, vitamque corpori crucifixo tertia post die redi-
didit.*

Quae quidem interpretatio cum caput totius disputatio-
nis tangat, & alia auctoris nostri commenta destruat, vbe-
rius nunc adstruenda & confirmando erit. Neque rationes
nobis defunt, sensum, quem nunc exhibuimus, demonstrandi,
quamuis hic locus multis difficultatibus prematur, tan-
tamque crucem fixerit Patribus Ecclesiae, vt de eo nihil cer-
ti definire ausi fuerint. (b) Nam 1. obseruari oportet, inter
tot significatus vocis *πνεῦμα*, quos diligenter collegerunt Scri-
pturarum interpretes, (c) eum, quem indicauimus, non po-
stremum esse. Inprimis vero *Spiritus Diuinitatem Christi* de-
notat, quoties textus de eo agit, & Spiritus carni opponitur.
Exempla huius rei clariora extant *Io. VI. 63. Rom. I. 3. 4.
Ebr. IX. 14.* Itaque non iniusta erit verborum in peregrinos
signi-

(b) Vid. S. AVGVSTINV S in Epist. ad Euodium, quae est CLXIV.
in Edit. Ord. Bened. Tom. II. p. 537. seq.

(c) Vid. MATTIAS FLACIVS in Clave Script. sub voce *Spiritus*
P. I. p. 1186,

significatus detorsio, si per Spiritum intelligamus diuinam Christi naturam. 2. Meminerimus, hunc ipsum Spiritum, de quo Petrus loquitur, esse causam efficientem, qua mortificata caro in vitam iterum revocata est. Hanc vero resuscitationem ex moruis opus non animae humanae, sed diuinae omnipotentiae esse, & ipsa rei natura & scriptura passim testatur. Et quanquam omnipotentia illa est aeterna Patris vis & efficacia, Rom. VI. 4. Eph. I. 20. nihilo tamen minus simul filii ipsius potentia esse merito creditur, qua se ipsum resuscitando demonstravit, se esse DEi filium, vt Apostolus Rom. I. 4. inquit. Nam per eundem Spiritum, quo viuiscatus est, Christus abiens praedicauit spiritibus in custodia. 1. Petr. III. 19. Quare dubitari haud potest, quin Sanctus Apostolus omnipotentem Christi naturam, h. e. eius veram Diuinitatem hoc vocabulo designauerit. Accedit 3. Spiritum illum, quo Christus viuiscatus est, eam Christi naturam esse, qua ipse infeli hominum multitudini, quae diluuo delebatur, temporibus Noae poenitentiam praedicauit. 1. Petr. III. 19. 20. Equidem trita & vulgaris est opinio, localem Christi descendum ad inferos hoc loco describi, eosque Spiritus, queis Christus praedieasse dicitur, esse animas damnatorum in inferno. (d) Quod vero cum aliis minus placet, τὰ ἐν Φυλακῇ πνεύματα putarunt esse Spiritus, non carcere detentos, sed excubias agentes, quamvis & hic in varias iterum sententias abeant interpretes. Sunt enim, qui hos Spiritus excubias agentes esse putant angelos, hominum custodes, vt Pf. XCI. ii. vocantur. (e) Atque hi verba Apostoli ita nobis exponunt: Diuina Christi natura homines antediluvianos ad poenitentiam vocavit, vna cum angelis, qui monuere Noachum, vt eos ad saniores mentem vocaret. Id enim usitatum in Scripturis esse inquietunt, vt, quo-

(d) Vid. IOANNES PEARSONIVS in Expof. Symb. Apost. Art. V. p. 406.

(e) Haec est opinio IOANNIS CLERICI in notis ad HAMMONDI Nou. Test. ad h. l.

quotiescumque DEus inter homines quicquam acturus est, describatur descendens de coelo, cinctus angelorum satellitio. Aliis vero hi Spiritus in specula constituti sunt animae piorum ad spem promissae salutis intentae, eamque quasi eminus considerantes. (f) Verum nos his opinionum diuortiis minime perturbamur. Verba Sancti Apostoli ipsa intuentes, quae sic se habent: Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν Φυλακῇ πνεύμασι πορευθείς εἴπεν ἀπειδηταῖς πότε, στέ ἀπαξ ἐξερέχετο ἡ τε Θεᾶ μαρτυρία εν ἡμέραις Νῶε, π. τ. λ. haec, inquam, verba intuentes, eorumque naturalem ordinem & significatum sequentes, in loco hoc obscuriore, vt quibusdam visus est, sensum facillimum & maxime perspicuum inuenimus. Id enim sibi vult diuinus Scriptor: *Christus iuxta eundem Spiritum, quo vivificatus est, iam olim praedicauit illis Spiritibus, qui hodie sunt in custodia, & qui tunc temporis credere nolebant, cum insignis DEi longanimitas eorum poenitentiam expectaret, quos ad eam Noa, praeceo iustitiae, diuino instinctu excitatus, tot annorum decursu vocauerat.* (g) Tanta igitur verborum claritate illustratus quis non videt, Spiritum hunc, quo optimus Saluator vivificatus esse dicitur, minime illius animam, a corpore per violentiam mortem separatam, sed longe sublimorem, qua gaudebat, naturam fuisse, quae non solum iam tempore antediluviano exitit, sed cuius etiam erat, poscere & expectare ab hominibus poenitentiam?

Destructo igitur hoc fundamento principali, in quo nouae sapientiae conditor omnem fiduciam collocauerat, nunc progrediamur ad reliqua, quibus vero, cum trita sint, & ab aliis iam occupata, haud diu immorabitur. Si Christus secundum carnem resurrexisset, disputari viterius, non tam amicis & discipulis, hominibus hac in re valde suspectis, quam Iudeis, Phariseis & Sacerdotibus, & denique ipsis Romanis viuis appa-

B

(f) Vid. IOANNES CALVINVS in Comment. Ep. I. Petri ad h. l. p. 37.

(g) Plura erudite in hunc locum disputata legi possunt apud THEODO-
RVM ANTONIDEM in Expositione Ep. I. Petri ad h. l. p. 318. seqq.

apparuerit. Quod vero cum factum non sit, nugae sunt & fabulae, quae de hac resurrectione nobis narrantur. (h) Eodem prorsus argumento accerimus christiani nominis hostis, CELSVS, philosophus gentilis, resurrectionis Christi veritatem iam ante multa secula impugnauit. (i) Preffit huius vestigia Atheorum hodie princeps & coriphaeus, BENEDICTVS DE SPINOZA, qui ex eadem causa, quod Christus non apparuerit senatu iudaico, aut Pilato, aut cuiquam infidelium, resurrectionem eius negavit, eamque allegorice & spiritualiter accipiendam esse censuit. (k) Et ex hoc fonte suam impietatem hausit EDELMANNVS. Ast diu iam fracta sunt haec infidelium arma a tot veritatis confessoribus. Quare cum opus non sit, disputationem toties repetitam nunc denuo renouare, eos, qui contra hanc obiectionem animum firmare cupiunt, ad alios Scriptores reiicimus. (l)

Tertium argumentum, quod veritati resurrectionis Christi opposuit, petutum est *ex rei impossibilitate.* Et sane hoc omnium foret validissimum, si, quod supponit auctor, certe sibi constaret, nimurum, restitutionem corporis defuncti eiusque redunctionem cum anima impossibilem esse. Disputatum est ea de re alibi. Nec contemnenda sunt rationes, quibus resurrectionis possibilitatem Philosophus, si naturae vires ingenue explorare velit, adstruere potest. (m) Sed audiamus, quomodo eam impugnatum iuerit aduersarius. Vnicum in re tanti momenti sufficere arbitratus est argumentum, idque nullis rationibus corroboratum. Accipiatis hu-

(h) Vid. EDELMANNI Glaubensbekentnis. p. 192.

(i) Vid. ORIGENES de Ver. Rel. Christ. contra CELSVUM Lib. II. §. 9.
ex verbi Mosh.

(k) Vid. BEN. DE SPINOZA in Ep. 23. p. 454.

(l) Instar omnium legi meretur HVMFREDVS DITTON in Lib. de Ver. Rel. Christ. Part. III. cap. X. sect. 3. seqq. p. 420. seq.

(m) Vid. B. IO. FECHTIVS in Noct. Christ. Exerc. XI. de Resurrect. Carnis §. 8. seqq. p. 900. seqq. & Medit. nostrae de Resurrect. Carn. §. 16. seqq.

ius tenorem! *Christi corpus*, inquit, *babet initium; Quicquid vero initium habet, illud interire debet; Et quicquid interire debet, illud non potest restituiri; Ergo & corpus Christi non potuit resuscitari.* (n) Duo sunt in hoc sorite, quorum veritas desideratur. Primum enim falsum est hoc principium: *Quicquid ortum est, illud & aliquando interire debet.* Posse huius generis entia interire, id quidem fatemur omnes. Necessestas vero interitus harum rerum nulla ratione probari potest. Is enim, qui has res ex nihilo prodire iussit, potentia non destituitur, eas semper conseruandi. Nec in se impossibile est, creaturas, quae semel existunt, existentiam suam semper continuare, & hinc nunquam interire. Secundo falsum est & hoc principium: *Quod semel interierit, & interire debuit, restitui haud potest.* Num enim maioris potentiae opus est, rem perditam restituere, quam ex nihilo eam producere? Ast si res initium habuit, ut ab auctore supponitur, ex nihilo utique producta est. Quid igitur impediat, quo minus restituatur, postquam interierat? Taceo, auctorem nostrum in hac disputatione sui pantheistini prorofus immemorem fuisse, quo totius materiae aeternitatem asseruit, & omnia, quae in hoc mundo sunt, diuinæ substantiae modificationes esse declarauit. Nam qua ratione cum hac hypothesi ortus, interitus, & impossibilitas restitutionis corporis Christi conciliari queat, fateor, me non comprehendere.

Sisto igitur, praemissa hac disputatione, auctorem nudum ac inermem, quatenus id sibi datum esse putauit, ut resurrectionem carnis Christi directe aggredetur. Sed longe infirmior apparebit, si forte illi opponantur tot circumstantiae historicae, quae hanc resurrectionem haud obscure testantur, & ab ipso auctore in dubium vocari non potuerunt. Agnoscit enim, Christum praedixisse, se tertia post mortem die iterum resurrecturum esse; Fateretur etiam, Salvatoris nostri corpus in cruce occisum praedito hoc tempore in sepul-

(n) Vid. Auctoris glaubensbekentnis. p. 202.

chro repertum non esse; Neque tamen approbat Iudeorum puerile commentum, abstulisse illud discipulos Christi, eum dormirent custodes. Quid igitur respondet ad hanc praedictionem Christi? Et quomodo exponit ea, quae tertia post mortem die euenerunt, videlicet violentam sepulchri aperturam, fugam militum, absentiam corporis Christi, & reliqua? Homini, qui omnia audet, & qui quodlibet sibi licere autem, non deest elabendi occasio. Tantae difficultates Achillem nostrum non terrent. Videbimus, eum haec omnia uno ictu superare.

Quod enim primo praedictionem Christi attinet, hanc, ait, *de resurrectione Spiritus* agere, quae, vt vidimus, ipsi nihil aliud est, quam separatio animae a corpore, & cum illa connexa liberatio ab omni malo. (o) Sed quam inconfidere hic philosophetur, ex sequentibus patebit. 1. Resurrexio Spiritus, cum ex mente auctoris nostri sit ipse egressus animae ex corpore, plane non differt a morte. Christus vero utramque a se inuicem probe distinguit. Inquit enim, se occisum iri, sed tertia die iterum resurrectum esse. *Luc. XVIII. 33.* Tantum igitur abest, vt utrumque simul fieri, aut unum idemque esse afferat, vt haec duo potius tanquam opposita discipulis suis repraesentet. 2. Si resurrectio, quam Christus ante mortem suam praedixerat, tantum resurrectio spiritus, h. e. separatio spiritus a corpore imperfecto esse debuisset, fane Christus in ipsa cruce resurrexisset, cum Spiritum elideret, manibusque patris sui traderet. At enim vero se tertia demum die post mortem resurrectum esse, discipulis suis annunciat. Ergo & de alia resurrectione, & non de ea, quam auctor fingit, locutus est. 3. Neque discipuli & apostoli Christi, neque eius hostes hanc praedictionem aliter, quam de resurrectione carnis, interpretati sunt. Iudeos praedictionem resurrectionis carnis credidisse, ex illorum prae cautione satis intelligitur, qua sepulchrum obsignarunt, id que

(o) Vid. AVCTORIS Glaubensbekentnis p. 200.

que militi praesidiario publica auctoritate excubias agenti trahiderunt. Discipulos vero & Apostolos hanc praedictionem alter non accepisse, publica illorum doctrina de resurrectione corporis Christi testatur. 4. Neque causam auctoris nostri iuvat locus ex propheta excitat: *Vivificabit nos a duabus diebus, & die terra suscitabit nos.* Hof. VI. 2. Quamquam enim hoc loco DEus afflito populo non promittit resurrectionem carnis, sed potius liberationem a suis calamitatibus, hinc tamen concludi haud potest, talem quoque resurrectionem esse, quam Christus suam mortem sequuturam praedixit. Taceo, hanc resuscitationem, de qua propheta loquitur, ne quidem eam esse, quam auctor noster a Christo praedictam esse voluit. Gens enim israelitica spe meliorum temporum erigitur, quam fortunae mutationem propheta resuscitationem vocat. Iam si resuscitatio Christi eadem foret, quam iis temporibus Iudei magnis calamitatibus pressi sperabant, aut hi solatium in morte quaesiverint, & illius spe animos suos confirmassent, aut Christi resurrectio bonorum omnium terrenorum affluentia fuisse, quod tamen vtrumque ipsis hypothesis auctoris nostri repugnat.

Quemadmodum vero hanc resurrectionis praedictionem, quam ex ore Christi & amici & inimici eius audiuerant, in suam hypothesis audaci fictione detorquet, sic & eadem temeritate respondet ad obiectionem, *fores sepulchri fractas, & corpus Christi a quaerentibus in eodem inuentum non esse.* Haec enim omnia euenisce, fatetur, sed causam reddit, a resurrectione longe alienam. Namque terram hoc ipso tempore vehementer quassaram, & hoc motu factum esse, inquit, ut fundus sepulchri scinderetur, corpus Christi rueret in profundum, apertisque terrae faucibus absorberetur, saxum sepulchri ostio admirorum reuolueretur, & milites terrore perculsi, viso hoc spectaculo, in fugam conuerterentur. Cuius narrationis veritatem satis sibi constare putat, quia ipse Matthaeus commemorat, incidisse in hoc tempus, quo Christus

vulgo resurrexisse creditur, ingentem terrae motum, ex quo apertura sepulchri, fuga custodum, & absentia corporis Christi facile colligi possit. (p)

Nouum hoc est intuitum, nostraque discussione vel ideo dignum, ne quid habeant religionis hostes, de quo iure gloriari possint. Fatemur itaque 1. imo & diligenter obseruari volumus, eo tempore, quo Christus resurrexisse creditur, terrae motum contigisse, quem, cum ab Euangelista σεισμὸς μέγας dicitur, haud vulgarem, sed magnum & notabiliorum fuisse oportet. Alium terrae motum commemorauerat idem Euangelista, Matth. XXVII. 52. qui vero minime confundendus est cum eo, cuius mentio fit cap. XXVIII. 2. Ille enim annunciat mortem Christi, & hic eius resurrectionem. Sed 2. hic terrae motus neutiquam causa fuit aperturæ sepulchri, verum potius ex parte huius effectus. Nam ex verbis Matthaei cap. XXVIII. 2. colligere licet, terram aduentu angeli & remotione lapidis, quo sepulchrum cludebatur, tantopere commotam esse. Simulac fortissimum ille Spiritus terram tegerat, sive vi lapidem magno cum impetu reuoluerat, terra, quae sepulchro proxima erat, sic quassabatur, vt haec agitatio ingenti terrae motui similis videretur. Id enim diuinus Scriptor his verbis haud obscure indicat: Καὶ ἴδε, σεισμὸς ἐγένετο μέγας ἢ γῆς πρώτης καταβοτὰς &c. 3. Equidem hanc angeli apparitionem auctor noster audacter negat; sed irrito effectu. Idem enim Euangelista, qui terrae motum testatur, eodem commate simul narrat, angelum descendisse e coelo, & sepulchri fores reserasse. Si ergo auctor Mattheo assentitur, terrae motum afferenti, cur eius reicit testimonium de angeli apparitione? Certe si hoc postremum testimonium illi suspectum videtur, nec fide dignum erit prius de motu terrae. 4. Ex hac causa simul falsum est, corpus Christi terrae hiatus absorptum, & sic aduenientium spectatorum oculis subducendum esse. Nam idem Euangelista, qui terrae motum refert,

codem

(p) Vid. AVCTORIS Glaubensbek. p. 196. 197.

eodem loco simul angeli testimonium de vera Christi resurrectione recitat, Matth. XXVIII. 6. cuius relationis certe non minor est auctoritas, quam illius, ex qua auctor colligit, corpus Christi terrae motu absconditum, & in visceribus telluris sepultum esse. 5. Ab omni quoque probabilitate auctoris praesumptio, corpus Christi apertis terrae faucibus absconditum esse, ex hac ratione abhorret, quia tale quid nunquam obiectum est Apostolis, resurrectionem Christi praedicantibus. Iudei, qui nihil praetermittebant, quo fides huius resurrectionis suspecta reddi poterat, hanc submersionem contra Apostolos vrgere non neglexissent, si quaedam duntaxat probabilitia illius vestigia praefeo fuissent, aut si eiusmodi terrae motus contigisset, quo corpus Christi absorberi potuerit. Maiorem enim veri speciem haec exceptio prae se tulisset, quam illa Apostolorum inculpatio, quod corpus Christi furto absconderint. Eam vero Iudeos Apostolis inquam opposuisse, neque ex sacra neque ex profana historia aut aliis circumstantiis constat. 6. Denique & frustra supponitur, eo ipso tempore terrae motum casti eueniisse, & corpus Christi in sepulchro asserratum occultasse, in quod ille suam resurrectionem praedixerat. Quodsi enim tale quid accidisset, DEum sane peculiari modo cooperari oportuisset, idque sine dubio eo fine, ut praedictionem Christi, se tertia die resurrecturum esse, confirmaret, illaque veri speciem conciliaret. Quis vero crederet, DEum eiusmodi opus aggressurum fuisse, si nec Christus resurrectionem carnis praedixisset, nec illa vere secuta fuisset.

Videtis ergo, CIVES OPTIMI DILECTISSIMI QVE, vana esse, omnique fundamento destituta, quae nouae impietatis auctor contra sanctissimam religionis nostrae partem disputauit. Si vero noua hac veritatis victoria fides vestra confirmata est, sique vos corde creditis, Dominum nostrum resurrexisse a mortuis, quemadmodum confitemini, eum esse redemptorem totius mundi, age, nunc serio perpendite, iam non inanes speculationes, non problemata philosophica, non sapi-

Sapientum huius seculi scita træctari, sed veritatis coelestes,
 quarum diuina efficacia corda vestra vere sanctificantur, &
 animae aeternum cum DEo vniuntur. Christus enim, inquit
 sanctus Apostolus, in mortem traditus est propter peccata no-
 stra, & a mortuis resuscitatus propter iustificationem nostram.
 Rom. IV. vlt. Resuscitatus est, inquam, in iustificationem no-
 stram, quatenus resurrectione sua redēctionis opus obsigna-
 uit, fidem nostram confirmavit, & sic effecit, vt nos hac si-
 de instructi accedere possimus ad propitiatorium, ibidemque
 consequi peccatorum remissionem. Sed resuscitatus quoque
 est eum in finem, vt, quod illi corporaliter accedit, in nobis
 spiritualiter perficiatur; h. e. vt resurgamus a morte spirituali,
 ab ignorantia, a peccato, ab impotentiā, DEo seruendi, &
 e contrario coram illo pie, iuste, & sobrie viuamus in hoc
 seculo. Namque una sepulti sumus cum eo per baptismum in
 mortem, vt, quemadmodum Christus resuscitatus est ex mortuis
 per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus.
 Rom. VI. 4.

Quae cum sciatis, CIVES CHARISSIMI, sanctum vo-
 bis hoc esto tempus, quo memoria salutaris Christi resurrec-
 tionis in coetibus fidelium renouatur, idque, quantum pot-
 estis, operam date, vt diuino spiritu excitati peccato magis
 magisque semper moriamini, ad vitam spiritualem surgatis,
 mundanisque cupiditatibus valere iussis id viuendi genus, in
 quo ducem habetis ipsum Redemptorem vestrum, peccati,
 mortis, & inferni victorem, strenue ingrediamini. Scitote e-
 nim, felicissimam hanc Spiritus resurrectionem olim secutu-
 ram esse gloriofam corruptae carnis resuscitationem, aeter-
 numque praemium, quod arduam cum peccato carnisque il-
 lecebris pugnam infinites superabit. Nam qui cum Christo
 in hac vita mortui & crucifixi sunt, in futura & viuent, &
 regnabunt in aeternum. P.P. in Acad. Iulia Carolina
 D. XXVIII. Mart. A. R. S. clo Is CCL.



153883
X 2286633

R

R E S V R R E C T I O
 C A R N I S C H R I S T I
 A D V E R S V S
 R E S V R R E C T I O N E M S P I R I T V S
 A N V P E R O S C R I P T O R E
 F I C T A M V I N D I C A T V R
 P R O G R A M M A T E
 F E S T O P A S C H A T O S
 A N N O C I C I C I I C C L
 I N A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A
 P . P .

HELMSTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA.

